QUODVULTDEUS. MARBODUS REDONENSIS. AMBROSIUS MEDIOLANENSIS. AUGUSTINUS
Ende 12. Jh. Seite 111r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

peccatorum, dominationes iniquorum. Quid ergo faciemus fratres mei? Societas cum [deo]
deo habenda est, alia spes vitae aeternae nulla est. Deus autem lux est, et tenebrae in
eo non sunt ullae. Iniquitates autem tenebrae sunt. Iniquitatibus premimur, ne societatem cum deo
habere possimus. Quae ergo spes? Nonne promiseram aliquid me locuturum istis diebus
quod gaudium faciat, non quod exhibeat tristitiam. Quae est lux illa? Deus lux est, et te-
nebrae in eo non sunt ullae. Peccata tenebrae sunt. Quid erit nobis? Audiamus, ne forte con-
soletur, erigat, det spem, ne deficiamus in via. Currimus enim, et ad patriam cur-
rimus. Et si nos perventuros desperamus, ipsa desperatione deficimus. Ille autem qui
nos vult pervenire, ut conservet in patria, pascit in via. Audiamus ergo. Quod
si dixerimus quia societatem cum illo habemus et in tenebris ambulamus, menti-
mur et non facimus veritatem. Non dicamus quia societatem cum illo habemus, si in
tenebris ambulamus. Quod si in lumine ambulemus sicut et ipse in lumine est,
societatem habemus ad invicem. In lumine ambulemus, sicut et ipse est in lumine,
ut possimus societatem habere cum illo. Quid faciemus de peccatis? Audi quid sequitur:
Et sanguis Iesu Christi filii eius purgabit nos ab omni delicto. Magnam securita-
tem dedit deus. Merito pascha celebremus, ubi fusus est sanguis domini, quo
purgamur ab omni delicto. Simus securi: cautionem contra nos servitutis dia-
bolus tenebat, sed sanguine Christi deleta est. Sanguis, inquit, filii eius purga-
bit nos ab omni delicto. Attendite: ecce iam in nomine Christi per sanguinem cru-
cis domini, quem nunc confessi sunt isti qui appellantur infantes, mundata sunt omnia
peccata ipsorum. Veteres intraverunt, novi exierunt. Quid est veteres intraverunt, novi
exierunt? Senes intraverunt, infantes exierunt. Senectus enim veternosa, vetus vita est,
infantia autem generationis nova vita est. Sed quid faciemus? Peccata praeterita dona-
ta sunt, non tantum ipsis, sed et nobis. Et post donationem et abolitionem omnium
peccatorum, vivendo in hoc saeculo inter temptationes quaedam forte contracta sunt.
Ideo quod potest homo faciat, ipse confiteatur quod est, ut ab illo curetur qui semper est quod est.
Ipse enim est quod est, nos non eramus et sumus. Vide enim quid dicat: Quod si dixerimus quia
peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Ergo si te con-
fessus peccatorem fueris, est in te veritas. Nam ipsa veritas lux
est. Nondum perfecte splenduit vita tua, quia insunt peccata, sed tamen iam
illuminari coepisti, quia inest confessio peccatorum. Vide enim quid sequatur: Quod si con